

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HULLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIÆ INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS I.

PARS II.

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

Sanctissimo in Christo patri et domino suo Honorio, etc. Fridericus, etc. Cupientes tam Ecclesie Romane, etc. [*Sequitur sicut in privilegio dato apud Argentinam, 1° julii 1216, p. 469, verbis competenter mutatis et cum additione quae supra.*]

Datum apud Hagenowe, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo, IV idus februarii, indictione VIII.

Fridericus, Romanorum rex, Honorio papae scribit se innovasse privilegium de regno Siciliae filio suo resignando, licet speret quod in vita sua de benignitate pontificis hoc regnum tenendum habebit. Notum facit quid egerit de negotio Terrae Sanctae et quomodo in tali proposito poterit retardari; addens se ad populum Romanum Fuldensem abbatem mittere, qui cives moneat ut erga Romanam Ecclesiam se cum omni reverentia gerant.

Apud
Hagenowe,
19 februarii.

(Edid. RAYNALD., *Annal. eccles.*, t. I, ad ann. 1220, § I-V, e regest. Honor., lib. IV, epist. 682. Desiderantur tamen lacunae quaedam, quarum praecipuam supplemus.)

Sanctissimo in Christo patri et permaximo benefactori suo domino Honorio, Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fridericus eadem et sui gratia Romanorum rex, semper augustus, et rex Siciliae, commendationem et reverentiam tam debitam quam devotam. Exhibitam nobis in nostris negotiis, petitionibus et necessitatibus universis vestre gratie plenitudinem devote recognoscimus et recognoscentes apostolice sanctitatis pedibus humiliter inclinamus, utpote qui per Romane Ecclesie et vestre paternitatis grata subsidia et favorem reminiscimur nos adeptos quidquid honoris et glorie possidemus. Verum si ad tot beneficia et tantorum cumulum meritorum nostra, prout cupimus et debemus, devotio non respondet, non minus fervet interius voluntatis affectus, quem utique quoties expedit libenter producimus in effectum.

Sane petitionibus et preceptis vestris que per magistrum Alatrinum subdiaconum et capellanum vestrum nostre celsitudini direxistis, sicut promisimus, per magistrum Bonumhominem de Gajeta, Messanensem decanum, notarium et fidelem nostrum, incontinenti post reditum ejus promptum et benivolum curavimus impertiri assensum, excepta innovatione privilegii de regno Sicilie, quam nobis sub spe obtinendi a vestra paternitate ipsius regni in vita nostra dominium, reservantes, per Tarentinum electum vestre supplicavimus sanctitati. Sed postquam novimus vestram exinde voluntatem, privilegium ipsum duximus innovandum; addito tamen quod si charissimum filium nostrum absque herede et germano mori contingat, succedamus eidem in tenendo in vita nostra ab Ecclesia regnum ipsum; quod per ejusdem electi litteras intelleximus a vestra nobis benignitate concessum. Nihilominus adhuc de vestra benevolentia et de nostra quam ad Ecclesiam et vos gerimus devotione non modicum confidentes, petitionem de ipsius regni nobis in vita nostra dominio reservando, cum in vestra fuerimus presentia constituti, a vestra beatitudine obtinere speramus. Quis enim devotior inde erit Ecclesie quam qui Ecclesie ubera suxisse recolit et in ejus gremio suscepisse inde custodiam et etatis ac salutis et honoris augmentum? Quis fidelior, quis accepti beneficii magis memor? Quis de gratitudine commendabilior existimari potest quam is in quo crescit cum fide devotio? Acceptorum beneficiorum tenax memoria perseverat, et sue devotionis debitum, se cognoscens videlicet debitorem, solvere nititur juxta benefactoris arbitrium et mandatum. Si quidem susceptam gratiam recognoscimus, si jugiter profiteamur eandem, dictus capellanus vester qui summa cum diligentia et devotione improbus et importunus insistit ad Ecclesie procuranda negotia, non ignorat et poterit firmiter protestari; et in hoc etiam potest intelligi evidenter quod prefatum filium nostrum uberibus matris Ecclesie nutriendum elegimus et ipsius cure fiducialiter committendum. [Pergit rex, in curia apud Nuremberch solemniter celebrata, recepto a quibusdam principibus qui illuc convenerant juramento de itinere secum arripiendo; disposuisse aliam curiam Augustae, celebrare ubi ab aliis principibus juramenta recepit; se equidem paratum accinctumque itineri, sed crucesignatos, eorum culpa

quibus ipsorum censuris ecclesiasticis ad iter compellendorum provincia injuncta erat, rebus bello necessariis non instructos. Proindeque, si ita pontifici visum fuerit, hoc suscepisse consilium] : Verentes ne arripientibus nobis iter, illi remaneant et sub occasione aliqua nos relinquunt, decrevimus eos premittere ante nos si de vestre fuerit arbitrio voluntatis, et nos subsequi prout decet. Sed timemus ne si ad hec obnixius intendamus, dum circa eadem fuerimus occupati, aliqui dies possint ultra prefixum nobis terminum preterire (1). Quod quidem non in fraudem loquimur, teste Deo, cum in procinctu simus itineris et parati ad ipsam diem, et tam honorem Ecclesie quam negotium crucifixi per Theutonium efficaciter procuremus, facientes jurare milites strenuos et electos ad pugnam ut nobiscum debeant transfretare, ac paces et treguas in quantum possumus prorogantes pro eodem negotio melius exequendo.

Super his et aliis nuncios destinamus ad pedes vestros latores presentium magistros Stabilem et Petrum, notarios et fideles nostros, qui vobis faciant plenam fidem de adventu principis memorati (2). Quem ecce mittimus ad vos et populum Romanum ut vestre paternitati devotionem nostram et principum voluntatem exponat, expositurus nihilominus tam

(1) Huc pertinet epistola auctoris incerti quam retulit HAHNRS, *Collect. monum. vet. et rec.*, t. I, p. 364. Extat quoque in praecipuis litterarum Thomasii de Capua codicibus, ubi eandem contulimus, et est ita : « Mixturam quamdam timoris et gaudii littere attulere per P. quondam » exhibite, quum de incolumitate vestra recepta notitia habuit filius vester unde gaudeat; sed » de dubiis eventibus objecta presumptio diligentis animo aliquid intulit ad timorem. Fuit igitur » qui sollicitaret et fratres, et relevati sunt predicatorum in Alania, Hungaria et Anglia, » et renovata est excommunicatio in imperio in omnes cruce signatos, nullius excepta persona, » nisi in proximo martio iter arripiant et prosequantur arreptum. Ecce dominus rex sollicitavit » omnes maritimas civitates de regno ut preparent galeas, que multe sperantur. Verum de » ipso rege non creditur quod ante augustum pertranseat, sed sunt quidam principes qui non » creduntur ipsum in passagio expectare. Et quidem credebatur, sicut vobis per alias litteras » intimavi, ut in isto martio transiret; sed quedam impedimenta ipsum hactenus retardarunt, » de quibus per Dei gratiam est expeditus omnino. »

(2) Scilicet *Fuldensis abbatis*, de cujus legatione in loco paulo supra praetermisso sane mentio fuit. Hoc ille in mandatis habebat, ut obnixius circa Romanam coronationem instaret.

per litteras nostras quam viva voce senatori et populo Romano devotionem quam gerimus ad Ecclesiam et personam vestram, et attentius moniturus eosdem ex parte nostra ut se gerant taliter circa Ecclesie et vestram reverentiam et honorem quod in adventu nostro eos merito commendare possimus et ad merita respondere; significantes eisdem quod si secus facerent, quod non credimus, cum prebere nobis debeant devotionis exemplum, Ecclesie matri nostre quam modis omnibus confovere ac defensare tenemur, et vobis deesse aliquatenus non possemus, etc.

.....

Datum apud Hagenowe, XI kalendas martii, indictione VIII.

Apud
Spiegelberg,
24 februarii.

Fridericus, Romanorum rex, inhibet ne Wernerus de Bolanden sive quilibet alius Herdensem ecclesiam in aliquibus bonis suis inquietare praesumat.

(Edit. ap. *Histor. et comment. acad. Theodoro-Palatinae*, t. II, p. 77, num. XI, minus vero ut credimus integre. Originale apud Carlsruhe asservari dicit *Monz, Anzeigen*, ann. 1837, p. 138.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex, etc., et rex Sicilie. Quia serenitatis interest regie locis ac personis religiosis pacem et tranquillitatem providere liberali affectu, Herdensi ecclesie que nullo medio nostram regalem respicit advocatiam, progenitorum nostrorum imperatorum liberalitate et exemplo securitatem ac pacem curamus procurare. Ne igitur quisquam ulla ductus temeritate pefatam ecclesiam in aliquibus bonis suis ubicumque locorum sint, sive Wernherus de Bolanden in bonis suis Dandestat et Rorbach aut alias sive quilibet alius in aliis rebus seu personis suis, inquietare presumat districte inhibemus. Ut autem subjecte pagine robur constet, eamdem nostri sigilli duximus insigniis insignire.

Testes Cunradus imperialis aule cancellarius idemque Metensis et Spirensis episcopus, Wolframms abbas de Wizenburc, Gerhardus comes